

niori C. Habsburgicor. fortuna relicta, epocham historiae a temporibus Rudolfinis exordiamur.

Dictum de nomine Habsburgi, an a Babone, Avendo, Habentum, Habicht, aut aliunde? An argumentum antiquitatis sit, origines nesciri? causae non proitarum originum Rudolfi (b). Ratio veterum, historias notandi nonnisi cum selectu: mores aliorum incusati, qui res leuissimas notant cum Cordo, Romanorum Caesarum scriptore.

Rudolf. n. 1218. m. 1291.

§. IV. Nascitur RVDOLFVS Anno 1218. Patre Alberto. Sed qui a comite procreatus erat, nonnisi in regia e-
duci formarique debuit: quod mediocrem natalium sortem
cum summo honoris fastigio, fatis sic iubentibus, esset commu-
taturus. Ea enim magnarum virtutum tirocinia posuit,
cum avitum administraret comitatum, vt Anno 1272. ordi-
nibus nostris dignus videretur, vniuerso imperio praefici, ad
perditam eius salutem cura ac virtute sua reducendam. Ne-
que fefellit suorum spem. Pacauit enim Germaniam, ciui-
libus turbis misere afflictam. Perduelles in ordinem reda-
eti: bene meritis, quorum aequissimus aestimator fuit,
praemia dignitatesque collatae. Validos Austriae (a) Sue-
viaeque (b) ducatus genti suae intulit: illo ad natu maiorem

A 5

Alber-

met, ne impingat, non agat geneagraphum. Quasi vero inter
fabulas pulchras & historias tantum non esset discrimin. Produnt
scriptores eius notae, quem animum adferant ad scribendum.

(b) De his actum est plene planeque in capite primo bibliothecae bi-
storicae.

(a) Fateor, me vix adsequi, quo iure factum sit, vt Austria Rudolfo
Caesari obueniret. Principio enim Austria feminine est successio-
nis; ast supererant, ultimo principe, Friderico, capite truncato Nea-
poli, plures ex eius stirpe oriundi cognati. Nisi dixeris, regulam
tum in imperio feudalem obtinuisse: feminam semel exclusam,
semper exclusam permanere. Deinde ducibus, Austriae regna-
toribus extinctis, ius sufficiendi alium ducem, ordinum esse, aiunt,
quem imperii tantum nomine confirmare debuerit imperator. Sed
forte preces Rudolfi, Austria pro filio impetrandi, fuerunt cum
Ordinum Austriacorum bona voluntate.

(b) Suevia cum sub Hohenstaufis, tum sub ducibus antiquioribus a-
liis vniuersa paruit imperio, intermedio duce. Nulli Sueiae or-
dines tum fuere immediati, Reichs-unmittelbar. Qui ergo non
iisdem iuribus filio suo Sueiam impetravit obtinuitque imperator?
Notum enim est, filium Imperatoris Rudolfum iuniorem illam tan-
tum Sueiae partem accepisse, quae absoluerat ducis domanium.

Reli-